

fuerit nequiter spoliatus, super quo petivit humiliter sibi nostre gracie beneficio subveniri. Cum igitur te quidem, qui laudabilis indolis diceris adolescens et gradibus probitatis de virtute descendere crederis in virtutem, omnino dedeceat, si huiusmodi malefacta sub dissimulatione transierint incorrecta, sinceritatem t(uam), de qua stabili fide confidimus, omni qua possumus precum et exhortaminum instancia deprecamur, in fide qua nobis astringeris te monentes, quatinus tam iniuriosam enormitatem et tam enormem iniuriam emendacione condigna sic corrigas, quod de bonis malefactorum huiusmodi conquerenti et leso plenarie satisfiat, ut preter premium retribucionis eterne, quod exinde tibi proveniet, in humane laudis preconium gloriosi vendices nominis incrementum.

120.

Querelam gravem rel(igiosorum) t(alium) nuper accepimus continentem, quod talis fidelis noster Dei timore postposito rebus suis et bonis in t(ali) loco violenter ablati molestis eos inflixit iniuriis et iniuriis molestiis multipliciter tribulavit, super quo postulaverunt humiliter sibi a nostra celsitudine salutari remedio subveniri. Cum igitur gladius temporalis ad hoc sit nobis desuper creditus, ut ecclesias et personas ecclesiasticas a persecucionum tyrannide relevemus, fid(elitati) t(ue) dis(tricte) pre(cipiendo) mandamus, quatinus super hiis veritate sollercius inquisita, si sic esse compereris sicut superius est expressum, predictis rel(igiosis) vice nostra sic promptum super premissis exhibeas iusticie complementum, quod ablatorum restitutione plenarie subsequente pacifice pacis auctori deserviant pacis humiles professores nec super defectu iusticie conpellantur ad nos habere refugium vel recursum.

162. Exordium gracie.

Dum fidelium nostrorum votibus et precibus in hiis, que continent equitatem et recte rationis lineam non excedunt, promptum et facilem inpertimur assensum, et benevolencie nostre decus attollimus et ex eo erga nos fervencius devocionem accendimus subditorum etc.

174.¹

Hactenus modicum scripsi vobis, existimans mea negocia cordi esse vobis ut michi. Presencium tamen serie

1) Auch in E fol. 128' n. 164.